



IESVS, MARIA, IOSEPH.

P R O

ILLVSTRI
MARCHIONE DE
RVPIT, ET VICECOMITE
DE IOCH.

C O N T R A.

ILLVSTREM DON FELI-
CEM DE MARYMON DE CONSILIO SUÆ

Maieftatis in Supremo Arago-
num.

*Relatore Magnifico Vincentio de Sabater Regio
Confliorio.*

Not. Cervera.

1 **S**ATISFACTIO ad dubia, exemplaria, & pro-
positiones traditas ex aduerso.

PRIMUM DUBIUM.

2 **A**N, ex quo Nobilis Maria de Perapertussa, &
de Erill, obtinuit judicialiter, & causa cognita

A

ref.

2. 227
rescissionem transactionis in qua fundatur fideicommissum, ex capite lesionis, faciendo meliorem conditionem suam, & successorum, possint nunc successores dicte Nobilis Mariae, agere in vim dicti fideicommissi.

SECUNDUM DUBIUM.

3 AN conditio concepta in favorem heredis cum solita clausula, que ella haurà texat, &c. importet simpliciter jus in favorem heredis, taliter quod non possit alterari illius vocatio, vel aliquid fieri in prejudicium heredis.

4 Ad primum respondetur, nos non versari in rescissione transactionis, nec Domna Maria talem rescissionem judicialiter obtinuit, sed solum cuiusdam pacti; seu capituli renuntiationis, per eam facte in favorem Domne Anne sororis suae, in capitulis matrimonialibus inhitis inter dictam Domnam Annam, & Don Henricum Daspalau, anno 1546. prope apparet in sententia dicte rescissionis facta per Magnificum Petrum Llobregat, anno 1570. in processu producta, ibi: *His, & alijs meritis utriusque processus attentis, & alijs sua Excellentia dictam insequendo conclusionem pronuntiat, sententiat, & declarat, dictam diffinitionem, renuntiationem, & cessionem factas per dictam Nobilem Mariam de Perapertussa, & de Erill, in dictis capitulis matrimonialibus, 25. Aprilis 1546. super dicto Castro, Terminis, & Parochijs, & alijs bonis quondam Nob. Violantis Bertrana, & de Erill matris suae, fore, & esse nullas, & illas rescindendas, & annullandas, ut cum presenti rescindit, & annullat etiam ex dicto capite enormis, & enormissima lesionis, &c.* Ex qua conclusione clare elicitur, non tota capitula matrimonialia fuisse rescissa, & annullata, sed tantum capitulum renuntiationis, diffinitionis, & cessionis dictorum capitulorum matrimonialium.

5 Nec poterat dicta Domna Maria, omnium pactorum
rum

rum dictorum capitulorum matrimonialium rescissionem petere, cum ut dictum est, principaliter fuerint dicta capitula matrimonialia facta, & inhita inter dictum Don Henricum Despalau, & Domnam Annam de Erill. & Don Ioannem de Erill Patrem dictæ Domnæ Annæ, & solummodo dicta Domna Maria in dictis capitulis matrimonialibus intervenit, pro facienda dicta renuntiatione in vno, & in alio, pro ordinando vinculo reciproco inter ipsam, & dictam Domnam Annam, & consequenter, quamvis dicta Domna Maria visa fuisset recessisse à dicta renuntiatione per dictam rescissionem ob lesionem; non verò per dictam rescissionem remansit contractus dictorum capitulorum matrimonialium rescissus, & extinctus, cum non esset in manu dictæ Domnæ Mariæ, extinguere, & rescindere pacta in dictis capitulis matrimonialibus contenta, inter dictum D. Henricum Despalau, & Domnam Annam principaliter contractantes, ex quibus etiam depromitur pacta contenta in dictis capitulis matrimonialibus, minimè correspectiva æstimari posse, nec ad inducendam lesionem dictæ renuntiationis, prout pretenditur.

6 Et in omni casu minimè dici potest, per dictam rescissionem dictæ renuntiationis, factam fuisse meliorem conditionem successorum dictæ Domnæ Mariæ; nam, aut pactum renuntiationis per dictam Domnam Mariam factæ in dictis capitulis matrimonialibus fuit correspectivum, cum cæteris pactis dictorum capitulorum matrimonialium, vel saltem cum pacto dicti vinculi, vel non? Si pacta non sunt correspectiva, cessat difficultas, cum posset subsistere pactum dicti vinculi, non subsistente, vel rescisso pacto dictæ renuntiationis, ex quo non haberet dependentiam vnum ab alio, ex latè deductis in vltima juris allegatione materno sermone compacta num. 3. & 5. Et consequenter successores in dicto vinculo post dictam Domnam Mariam, veniente casu eorum vocationis, poterant bona vinculata vindicare; si verò pactum dictæ renuntiationis, esset correspectivum

cum cæteris pactis dictorum capitulorum matrimonialiũ, vel saltem cum pacto dicti vinculi; negari non potest, rescissionem dictæ renuntiationis præjudicialem omnino fore hæredibus, & successoribus dictæ Domnæ Mariæ vocatis per ejus præmorientiam in dicto vinculo, & minimè per eam fuerit facta melior conditio, quia dicto in casu si dicta rescissio facta non fuisset, stante prætenfa correspectivitate, dicti hæredes, & successores succederent vigore dicti vinculi in tota Baronia de Gelida in casu, qui locum habuit in favorem dictorum hæredum, per præmorientiam dictæ Domnæ Mariæ, & stante dicta rescissione tantummodo consequi possent medietatem dictæ Baronie, & sic ad oculum demonstratur præjudicium dictorum hæredum, & neuti- quam considerari posse meliorem conditionem eorum factam fuisse.

7 Ad secundum dubium, videtur jam satisfecisse hanc pattem Illustris Marchionis de Rupit in *num. 16. & 17.* dictæ ultimæ juris allegationis, ex Font. varijs in locis ibi relatis, & exemplaribus Regij Senatus, quibus additur aliud relatum à Canc. *var. par. 3. cap. 7. num. 310. & 311.* & à Font. *tom. 1. de pact. claus. 4. gloss. 5. num. 57.* quæ exemplaria mirificè casui nostro applicantur, cum in ipsis pactum revertionale appositum in donationibus de quibus agebatur, fuerit conceptum in favorem donatoris si viveret, sin minùs ad suum hæredem, vel successorem, aut ad illum, vel illos, in quorum favorem disposuerit in scriptis, verbo, testamento, vel aliter, & non obstantibus dictis verbis, & ampla facultate reservata per donatorem eligendi hæredem quem voluerit, & sic eligendi personam incertam ex incertis, fuit nihilominus in dictis exemplaribus decisum, minimè teneri hæredem nominatum à testatore, & donatore approbare ejus factum, nec vincula, & gravamina apposita in testamento in rebus donatis, nec potuisse talem donatorem, & testatorem respectivè, talia pacta, & gravamina apponere, ex quo hæres sic nominatus, & electus à testatore, jure pro-

proprio successerat in rebus donatis, ac per consequens eū hæres, & successor vniversalis dictæ Domnæ Mariæ fuerit vocatus in vinculo ordinato per dictam Domnam Annam in defectum omnium descendendum suorum, præmortua dicta Domna Maria, & iste casus evenerit, quamvis dicta Domna Maria habuisset facultatem eligendi, & nominandi hæredem quem voluerit, & sic personam incertam ex incertis, non per hoc teneretur ipsius hæredes, & successores approbare eius factum si tenderet ad exclusionem dicti vinculi, ex quo jure proprio, & ex propria persona, vel aliter venirent ad illud vocati.

8 Nec exemplar relatum à Ramon. *in fine, conf. 85.* applicatur; nam ex eo in causa quam ibi refert fuit decisum per Senatum, bona donata non pervenisse ad Hieronymum Bellmunt substitutū, quia Reverend^o Francisc^o Codina Presbyter, Canonic^o, & Decan^o Sedis Tarraconæ, in suo testamento cōdito an. 1610. instituit heredē suū vniversalē Franciscū Codina ejus nepotem, sive nebot, sub conditione, quod si decederet sine filijs succederet dictus Hieronymus Bellmunt, & eius hæres esset, & postea anno 1613. dictus Decanus Codina donationem fecit dicto Francisco Codina eius nepoti, de quibusdam domibus, proprietatibus, & alijs rebus, cum pacto, quod si decederet sine filijs, vel cum talibus, qui non pervenirent ad ætatem testandi, bona donata reverterentur ad dictum donatorem si viveret, sin minus ad eius hæredem, vel successorem vniversalem, aut ad eos in quorum favorem ipse donator verbo, testamento, aut alias disposuerit, & quia dictus Franciscus Codina hæres, & donatarius prædictus decessit post mortem Decani Codina donatoris, & testatoris respectivè, superstitè quadam filia dicti Francisci Codina vocata Paula, minimè potuit dictus Hieronymus Bellmunt substitutus, succedere dicto Decano Codina, in vim dicti testamenti, ex quo conditio sub qua erat vocatus defecit, cum dictus Franciscus Codina hæres institutus decesserit ei supervivente dicta

Paula filia sua, & consequenter, nec potuit succedere in dictis bonis donatis in vim dicti pacti revertionalis, cum ei deficeret qualitas hæredis dicti Decani Codina, in cuius favorem dictum pactum fuit conceptum, & sic nihil mirum si in dicta causa fuerit dicto Bellmunt impositum silentium in per eum prætenfis, scilicet, quod hæreditas dicti Decani Codina, & bona per eum donata dicto Francisco Codina, ad se pertinebant vigore testamentariæ dispositionis dicti Decani Codina, cum quamvis dicta bona donata subicerentur dicto pacto revertionali, si donatarius decederet sine filijs ad ætatem testandi non pervenientibus, & iste casus evenisset, ex quo dicta Paula filia dicti Francisci donatarij decessit in pupillari ætate: attamen cum in dictis rebus donatis non posset succedere in vim dicti pacti revertionalis nisi ille, qui inveniretur hæres dicti Decani Codina donatoris, & dictus Hieronymus Bellmunt, nunquam visus fuit, nec potuit esse hæres dicti donatoris in vim dicti testamenti, cum dictus Franciscus Codina primo loco hæres institutus, tantum fuerit gravatus casu, quo sine filijs decederet, & ipsi supervixerit dicta Paula filia sua, sequitur casum dictæ sententiæ casui nostro non applicari.

9 Nec etiam applicatur exemplar causæ de Moradell, inter Nobiles Coniuges Clarianas, & Gualbas, & Don Iosephum Falcò: Nam in sententia diffinitiva in dicta causa facta de tempore turbationum, minimè fuit discussum punctum, si quando pater fecit donationem filio cum pacto, quod si moreretur absque filijs reverterentur bona donata, ad donatorem si viveret, sin minùs ad suum hæredem, aut ad illum, vel illos, &c. Et si hæres donatoris tenebatur approbare vincula apposita per donatorem in testamento.

10 Et licet in calculis factis ex officio in provisionibus liquidationis, nimirum in facto per Doctorem Fornaguera num. 60. 61. & 62. & in facto per Doctorem Martinum num. 16. 17. & 18. fuerit facta mentio quarundam 100000^l. de quib⁹ Ioseph⁹ Michael de Moradell in capitulis matrimo-

nia-

nialib⁹ in hitis inter ipsum, & Domnā Doroteā Falcò donationem fecerat vni ex filijs masculis ex dicto matrimonio nacturis cum pacto, quod si sine filijs decederet posset tantummodo disponere de 2000℥. & reliquæ 8000℥. reverterentur ad dictum donatorem si viveret, sin minus ad suum hæredē, &c. Et prætenderet dictus Don Josephus Falcò, vti successor dictæ Domnæ Doroteæ in sui creditum liquidandas fore dictas 10000℥. ex quo supervixit dicto donatori quidam filius masculus dicti secundi matrimonij nominatus Josephus Paulus Moradell, & iste donationem fecerat dictæ Domnæ Doroteæ matri suæ: Attamen, quia dictus Josephus Paulus decesserat sine filijs, & consequenter habuisset locum pactum revertionale dictarum 8000℥. in favorem dicti donatoris, exindè resolverunt dicti calculatores in dictis numeris dictorum respectivè calculorum, dictum Josephum Paulum Moradell donatarium, ex dictis 10000℥. solum habuisse liberas 2000℥. liquidando eas tantum in creditum dicti Don Josephi Falcò, & ad ultra non progreditur in numeris dictorum calculorum, & sic in dicto exemplari non percutitur punctum nostræ quæstionis.

POST HÆC SCRIPTA FUERVNT EX
adverso tradita propositiones sequentes.

II **T**RANSACTIO facta per hæredem gravatum super fideicommissio etiam illud remittendo, vel illi renunciando, si est facta bona fide nocet omnibus successoribus in eo fideicommissio, etiamsi non sint transigentis hæredes, Urceolus *de transact. quest. 50. num. 1. & 6. & num. 74.*

12 Et dicitur facta bona fide quando utilis fuit transactio,

ctio, eo tempore quo facta extitit, Urceol. d. quest. 50. numer. 15.

13 Ergo si traufigendo bona fide potest hæres gravatus fideicommissio renunciare in præiudicium omnium vocatorum in eo: Multo fortiùs poterit hæres gravatus enormiter, aut enormissimè læsus in aliqua transactione, vel contractu, in quo erat constitutum fideicommissum in sui, & aliorum favorem, dictum contractum propter dictam læsionem rescindere, vel nullum declarari facere, & media dicta rescissione dictum fideicommissum evertere in præiudicium omnium vocatorum in eo: cum in eo actu rescissio bona fide procedat, & negotium vtilegerat.

14 Renuciatio fideicommissi nocet filijs, & descendibus, etiam ex persona propria ad fideicommissum vocatis, quando sunt hæredes patris renunciantis, Vivianus Cirochus discept. 5. à num. 64. vsque ad 69.

15 Respondetur enim quòd licet daremus pro constanti, posse hæredem gravatum transactionem inhire, superfideicommissio, & in ea illud remittere, vel renunciare, & nocere omnibus successoribus in fideicommissio, etiã si non sint transigētis hæredes, si transactio sit bona fide facta, & dicatur facta bona fide, quando utilis fuit eo tempore quo facta extitit, (quòd non transit sine difficultate) & sic multo fortiùs posse dictum hæredem gravatum enormiter, aut enormissimè læsum in aliqua transactione, vel contractu, in quo erat constitutum fideicommissum in sui, & aliorum favorem dictum contractum propter dictam læsionem rescindere, vel nullum declarari facere, & media dicta rescissione dictum fideicommissum evertere in præiudicium omnium vocatorum in eo; Attamen supradicta minimè casui nostro applicari possunt, quia in primis ex meritis processus, nec aliàs constat Domnam Mariam de Eril, & Perapertusa transactionem inhijse, nec contractum aliquem fecisse, in quo renunciasset vinculo, seu fideicommissio ordinato per Domnam

9
nam Annam Despalau & Eril, sororem suam, & licet verum sit, quod dicta Domna Maria obtinuit ob læsionem rescisionem renuntiationis, per eam factæ in favorem dictæ Domnæ Annæ in Capitulis Matrimonialibus inter dictam Domnam Annam, & Don Henricum Despalau factis, non verò totius contractus dictorum Capitulorum matrimonialium, sed solum capituli dictæ renuntiationis, ut dictum est supra *num. 3.* ad responsionem primi dubij, & ita non resciso toto contractu dictorum Capitulorum matrimonialium, dici non potest per rescisionem dicti capituli renuntiationis dictam Domnam Mariam rescisse, seu renunciassse dicto fideicommissso.

16 Et quando per dictam rescisionem videretur totus contractus dictorum Capitulorum matrimonialium, in quo erat constitutum dictum fideicommissum, rescisus, & annullatus (quod negatur) non tamen inde inferri posset dictam rescisionem factam fuisse per dictam Domnam Mariam bona fide; quia in dictis Capitulis matrimonialibus, dicta Domna Maria ordinavit vinculum, & fideicommissum in favorem filiorum, & descendantium suorum, & in eorum defectum in favorem dictæ Domnæ Annæ, & sui hæredis sicuti dicta Domna Anna in favorem suorum filiorum, & descendantium, & in eorum defectum in favorem dictæ Domnæ Mariæ, & sui hæredis; qua propter si per dictam rescisionem totus contractus Capitulorum matrimonialium annullaretur, seu rescinderetur, non bona fides, sed mala præsumi poterat in dicta Domna Maria; nam resciso, & annullato toto dicto contractu, annullaretur etiam vinculum, & fideicommissum in eo per dictam Domnam Mariam ordinatum in favorem suorum descendantium, & dictæ Domnæ Annæ; & sui hæredis, & consequenter liberam dispositionem bonorum vinculatorum, haberet, & sic cum dicta rescisio facta fuisset non bona, sed mala fide, nec negotium utile gessisset, dicta Domna Maria, imo damnosum, vocatis in dictis respectivè fideicommissis. Sequitur, renuntiationem dicti fideicommissi, desumptam ex dicta rescisione,
neu-

neutiquam præiudicare posse hæredibus dictæ Domnæ Mariæ, post eam vocatis, iuxta doctrinam Urceol. ex adverso allegati, *d. quest. 50.*

17 Et ut omnis tollatur difficultas, animadvertitur, præsentam remissionem, seu renuntiationem fideicommissi neutiquam expressam dici posse, cum non inveniatur scriptura instrumentum, vel contractus in quibus dicta Domna Maria, talem renuntiationem, vel remissionem emisit, & quamvis Illustris Adversarius illam elicere valeat tacite ex dicta rescissione, ipsa tamen non sufficit, sed requiritur expressa pro ut ex, Fular. *de substitut. quest. 592. & 593.* tenet Censal. ad Pere. *art. 52. vers. Sexto declaratur, fol. mibi 336. qui vers. Prima ergo, & vers. Hæc conclusio,* immediate sequentibus dicit, non præsumi remissum fideicommissum, ex sola divisione non solum in voluntaria, sed etiam si facta fuerit per Judicem, vel arbitrum, cum iudex minime derogari possit iuri futuro, Fular. *de substitut. d. quest. 93. num. 153.* Pereg. *de fideicomm. d. artic. 52. num. 43. vers. Hæc autem,* Gayl. *obser. 139. num. 6. lib. 2.*

18 Et dato, quod renunciatio dicti fideicommissi fuisset expressè facta per dictam Domnam Mariam, nullum tamen poterat producere effectum, nec impedire vocatis post eam in dicto fideicommissio, quo minus succedere possent veniente casu dicti fideicommissi, quia ex meritis processus, & aliàs clare liquet, dictam Domnam Mariam præmortuam fuisse Domnæ Eleonori Ferràn, & Despalau filia, & vltimæ descendenti dictæ Domnæ Annæ vinculantis, & vocatæ in dicto fideicommissio ante dictam Domnam Mariam, cui Domnæ Eleonori delatum fuit dictum ~~fuit~~ fideicommissum, illudque agnovit, & acceptavit, & eius vigore dictam Baroniam de Gelida possedit, super vivente Vicecomite Don Petro de Perapertusa filio, & hærede dictæ Domne Mariæ, consequenterque, dictæ Domnæ Mariæ (per suam præmorientiam) nunquam potuit dictum fideicommissum esse delatum & sit certissima regula in iure, quod ad hoc, ut habeat locum renunciatio fideicommissi, vel rerum vincularum facta

II.

cta per hæredem gravatum, vel fideicommissarium requiritur, quòd fideicommissum invita sua sit ei delatum, ita ut si premoriatur antea quam ei defferatur nullius sit momenti dicta renunciatio, nec vllum præiudicium inferre potest postea vocatis in dicto fideicommissio, licet vocati reperiantur cū qualitate hæreditaria, cum semper insit conditio si fideicommissum, vel hæreditas ad renunciantem devolvatur, vel defferatur, Canc. var. par. 3. cap. 15. num. 57. & 58. qui numer. 59. sic ait: *Et certè, cum in dicta renunciatione insit conditio si hæreditas ad matrem devolvatur, filijs eius licet hæredibus dictam renunciationem obesse non posse est certo certius. Etenim cum dicta conditio defecerit, renunciatio habetur, ac si facta non esset. Et num. 63. ibi: Quoniam promissio matris de non contraveniendo pro se, & suis hæredibus intelligitur, quòd nec ipsa, nec eius hæredes contravenient iuri per eam renunciato, quòd erat in casu, quo hæreditas ad eam devolveretur, & cum hic casus non sit sequutus, filius non dicitur factum matris impugnare.*

19 Pegue. decis. seu cap. 65. nu. 4. tom. 2. ibi: *Primò, quia dicta renunciatio in se continet tacitam conditionem si legitime scessio locum habuerit in personam renunciantis ita Alex. Pau. in l. pactum, Cod. de colla. Bart. & alij in l. qui superstitis, ff. de acqui. hæred. ideo cum dicta Francina, que renunciavit sit patri suo prædefuncta, defecit conditio, & consequenter dicta renunciatio, & infra, ibi: Quòd procedit etiam, quòd sint hæredes matris.*

20 Fontanel. de pact. 2. claus. 9. glos. vnic. part. 1. num. 65. qui referendo verba sententiæ Senatus ita scribit, ibi: *In ea etiam fuit sumptum illud motivum de quo supra, quòd in renunciatione sub intelligebatur conditio si renuncians patri super viveret, que non evenerat, cum filia patri præmortua fuisset anteaquam in bonis suis sibi legitima deberetur, quo casu (inquit) talis renunciatio perinde habetur, ac si facta non fuisset, cum prius necesse sit quòd defferatur ius, quàm ut ei reuunciari possit.*

21 Vincent. de Franc. decis. 67. num. 7. ibi: *Pro parte*
ne-

nepotum dicebatur rationes ex quibus, Doctores in d. l. qui superstitis, & in d. l. pactum, quod dotali, tenent, renunciacionem factam per matrem non nocere filiis, quando mater premoritur ante eum cui renunciavit, obtinere etiam, quod filij, sint heredes matris, quia renunciatio predicta intelligitur si hereditas ad renunciantem devolvatur, non autem si ad filios mortua matre devolveretur, & promissio facta per matrem pro se, & heredibus de non contraveniendo etiam cum iuramento, intelligitur pro ut cantat, scilicet quod nec ipsa, nec eius heredes contravenient renunciacioni facta per matrem hereditatis, que ad eam devolvetur.

22 Donat. Anton. de Marin. resolut. iur. lib. 2. cap. 189. num. 91. ibi: Primus est quando renuncians, filiis relictis, premoritur patri, cui est cum pacto predicto renuntiatum, & in hoc casu receptissima est omnium sententia, matris renunciacionem nihil filiis obesse posse, quin ex propria persona ad avi successionem venire possint: ea quidem vulgata ratione, cum in omni renunciacione, illa tacita insit conditio si hereditas ad matrem renunciantem fuerit delata, unde si mater patri premoriatur, tamquam facta renunciatio sub conditione que non existit, evanescit, idque etiam si matris renunciantis sint heredes, factaque esset renunciatio dote recepta: Ita Doctores communiter in l. qui superstitis 93. ff. de acquir. hered. & in l. pactum dotali, Cod. de collat. Gozad. cons. 75. in fine, Ant. Gabriel. com. conclus. tom. 3. tit. de iure dotium conclus. 1. num. 47. D. de Franc. decis. 67. Morot. cons. 22. Vivius decis. 211. per tot. Font. de pactis nupt. claus. 9. glos. un. par. 1. num. 65. tom. 2. Reg. Rovit. cons. 23. num. 24. & 25. ubi dicit, sic semper in supremo Regni huius Senatu, iudicatum, quod proinde, stantibus tot continuatis decisionibus, subdit non esse amplius de hac quest. dubitandum.

23 Ex quibus in favorem dicti Illustris Marchionis declarandum esse speratur. Salvo, &c.

VALENTIA V.I.D.